

(1251) 1252 març 16

*Arnaud de Navata, senyor de Peralada, firma a l'abadessa Berenguera de Sant Daniel la compra d'una coromina situada a Vilamalla, feta als germans Pau i Berenguer de Palol.*

ASD núm. 158, perg. orig., 135 x 170 mm. Còpia; Llibre 21, núm. 125, pp. 124- 125.

Sit notum cunctis quod nos Arnaldus de Nauata dominus Petralate, bona fide per nos et nostros laudamus, firmamus et concedimus cum hoc presenti publico instrumento perpetuo ualituro uobis domine Berengarie, Dei gratia abbatisse Sancti Danielis et omni conuentui eiusdem monasterii et uestris successoribus in perpetuum omnem illam uendicionem quam Paulus de Palaciolo et Bernardus frater eius, filii Arnaldi de Palaciolo uobis et uestro monasterio fecerunt de quodam campo qui est in parrochia Sancti Uincentii de Uilalmaia, prout in instrumento uendicionis inde confecto plenius continetur. Recognoscimus etiam et in ueritate confitemur quod in dicto campo nichil habemus ratione dominii nec aliquo alio iure, ratione uel modo. Sed si forte aliquod ius uel rationem in predicto mihi pertinet uel pertinere debet uel potest ratione dominii uel aliquo alio iure, ratione uel modo, totum uobis et predicto monasterio et conuentui donamus, laudamus et concedimus in perpetuum per nos et per omnes nostros bona fide. Et eciam cedimus uobis et predicto monasterio et conuentui eiusdem et uestris successoribus omnes uoces nostras, iura, raciones, dominationes et omnes acciones seu peticiones nostras reales et personales, mixtas, utiles et directas quascumque in predicto campo habemus uel habere debemus aliquo iure uel ratione sicut melius dici potest ad uestrum comodum et intellectum. Et hodie uos et predictum monasterium et conuentum in corporalem possessionem uel quasi penitus inducimus, promittentes bona fide ac sollempni stipulacione quod contra predictam donationem, laudacionem et cessionem non ueniamus nec uenire aliquem nomine nostro faciamus uel paciamur, renunciando specialiter et ex certa sciencia omni doli exceptioni et conditioni indebiti et omni priuilegio militari et generaliter omni iuri, rationi et consuetudini contra hoc repugnantibus.

Actum est hoc septimodecimo kalendas aprilis anno Incarnationis Christi .MCC. quinquagesimo primo.

Sig+num Arnaldi de Nauata domini Petralate, qui hoc laudamus et firmamus firmarique rogamus. Sig+num Bernardi de Fuxano, militis, sig+num Bernardi de Requeseno, militis, testium.

Poncius de Fontibus, qui hoc rogatus scripsit (s. man.). Iohannes de Plana, publicus scriptor uille Petralate qui subscribo et hoc sig(s. man.)num facio.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 323-324